



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Licentiæ se absentandi à residentia Formula I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

## TITULUS VI.

De Licentiis, &amp; Permissionibus.

Licentiæ se absentandi à Residentia.

FORMULA I.

SUMMARIUM.

- 1 Licentia absentia à Residentia debet Parochis concedi ab Episcopo causa cognita, quamvis collatio pertineat ad inferiorem.
- 2 Deputatio substitui in absentia Parochi pertinet ad eundem, approbatio verò ad Episcopum.

N. Episcopus N.

**T**ibi N. Parocho Ecclesiæ Parochialis N. nostræ Diocesis, ut à residentia te absentare, & ad Urbem (vel alium locum) ex causa à Nobis cognita accedere, & transferre possis, relicto per te à Nobis approbato substituto, qui munia Parochialia exercere valeat, licentiam in Domino ad duos menses tantum concedimus, & impertimur. Attestantes te esse Sacerdotem bonis moribus imbutum, & ab hac nostra Diocesi abire nulla Ecclesiastica Censura, aliave pœna, quod sciamus, innodatum. Rogantes propterea omnes, ad quos declinabis, ut ad Sacrificium Missæ celebrandum, & ad alia Divina Officia exercenda admittant, & in cunctis faveant, & tueantur. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius.

## ADNOTATIONES.

1 **A**NOBIS COGNITA. Licentia absentia à Residentia debet concedi causa cognita ab Episcopo etiam pro illis Parochis, & Rectoribus, qui collationem obtinuerunt ab alio Præfato inferiori, quamvis Regulari, jurisdictionem plenariam quasi Episcopalem non habente, ut probat Garz. de Benefic. part. 3. num. 179. ubi examinat causas, propter quas possit talis licentia ab Episcopo concedi, vel denegari.

2. **RELICTO PER TE.** Deputatio substituti, sive Oeconomi in absentia Parochi ad ipsum pertinet, dummodo eligat idoneum, qui ab Episcopo, ad quem approbatio spectat, non valeat aliqua rationabili causa rejici, Sac. Congreg. Concilii in Militen. 7. Junii 1692. in responsione ad primum, & concordat Sac. Congregat. Episcop. in ead. Causa 7. Decemb. 1691.

Li-